



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi  
praesertim Ecclesiae accommodatum**

**Frangipani, Ottavio Mirto**

**Coloniae Agrippinae, 1597**

**VD16 F 2269**

De Sacramento Confirmationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

clesiam suam Parochialem se conferunt, vt Deo probe-  
 neficio puerperij agant gratias, eiusq; benedictionem,  
 Sacerdotum intercessione consequantur: præcepto no-  
 stro, suaq; commédatione, atq; exhortatione, in vsum  
 reuocent Parochi, omnesq; concionatores; non quidem  
 muneris aut oblationis gratia; à quo eos animum pro-  
 fus liberum, ac alienum gerere volumus; sed solius in-  
 tuitu pietatis. Mulieres vero quæ ex illicito concubitu  
 pepererunt, tanquam infames ab hac benedictione, re-  
 pellant, benedictionemq; hanc, ex modo & ritu quem  
 liber ritualis suæ Diocesis præscribit, soli Pastores cori-  
 q; Vicarij faciant; Religiosi autem alijq; Sacerdotes, qui-  
 bus pastoralis cura non incumbit, sub pœna suspensio-  
 nis eam ne facere præsumant.

## DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

I.  
 Concil. pro-  
 vinc. sub Her-  
 miano 5. par-  
 te 7. cap. 8.  
 Adolp. 3. in  
 his que ab  
 hereseos in-  
 simulatis in-  
 quirèda sunt.  
 §. 17. 18. 19.  
 pag. 503. a b.  
 cap. 1. & 2. De  
 cōsecrat. Dist.  
 3. Urbanus  
 PP. in episto-  
 ad omnes  
 Christianos.  
 Melchiades  
 PP. ad Hisp.  
 Episcopos.  
 Concil. Flo-  
 rent.

Q Vanquam collatio Sacramenti Confirmationis E-  
 piscoporum sit, non prorsus tamen ab eius tractati-  
 one abstinere debent Pastores alijq; Sacerdotes. Nam cū  
 ad excitandos, erigendos ac confirmandos Christi fide-  
 lium animos, à Christo Domino fuerit institutum, vt  
 aduersus omnes carnis, mundi, & Diaboli, impetus, atq;  
 insidias imperterriti, magnaq; animi constantia persi-  
 stāt; & fidem suam, non solum nunquam erubescant, sed  
 in ipsis opprobrijs, irrisionibus, persecutionibus, ad ex-  
 tremum vitæ Spiritum, alacriter, magnaq; in Deum fi-  
 ducia, & charitate confiteantur; adeo vt animi virtus, ip-  
 sis iniurijs, vexationibus, & persecutionibus, suis efflo-  
 rescat, augustior atq; robustior fiat: opus sane nunc est,  
 vt Episcopi, Pastores, atq; omnes Concionatores, eo ma-  
 iori diligentia, sollicitudine, ac zelo in explicatione, ac  
 cōmendatione huius Sacramenti nunc versentur; quod  
 videant, multos hac tēpestare illud contēnere, atq; alios,  
 eo quod huius Sacramenti gratia confirmati non sint  
 eiusue



eiusque virtutem in se non exsuscitent, in persecutionibus, sannis, opprobrijs, derisionibus, ac vel per solā quotidianam cum hæreticis vitæ consuetudinem, fidem suam erubescere; eamque ex leuissima causa, ac ubi opus non est, tegere; falsitatem, iniquitate maxima, præ se ferre, atque dum prudenter agere volunt, & hominibus in omnibus placere; sensim à vera ac Catholica fide deficere; & pro confessione nominis Christi, fideique ac religionis Christianæ; portare per simulationem, & consensum characterem bestię in dextera manu sua, & in frontibus suis.

2. Quare licet Sacramentum hoc omnibus ad salutem absolutè necessarium non sit; grauius tamen illos delinquere omnes intelligant, quicumque solliciti non sunt, eamue curam, quam possunt, non adhibent, ne vel sibi, vel ijs quorum curam gerunt; cum ad annos discretionis peruenerint, non desit: multo autem grauius eos peccare, qui illud per contemptum negligunt. Nec inexcusabiles sunt Episcopi, eorumque Suffraganei, qui ad confirmandos Christianos, Dioccesim suam, vt veros Pastores decet, per interualla non obeunt, & ad confessionem nominis Christi isto periculoso tempore, subditos suos, hisce militiæ Christianæ indumentis, insignijs ac Sacramentis, nec animant, nec armant. Maximè quia (sicut persuasum nobis est) innumera fidelium turba non desisset, quæ illud religiosè maximoque cum desiderio ac fructu susceperet, si esset qui eam, ad desiderandum & suscipiendum dignè hoc Sacramentum, cœlesti doctrinæ erudiret; quique illud in locis habitationis eorum administraret. Rogamus itaque in Domino Episcopos ac Suffraganeos omnes, & obtestatione diuini iudicij hortamur, vt ne hac in parte muneri suo desint, & aliquot antè diebus, qua parte Dioccesim suam obituri sunt, singulos Pastores de aduentu suo faciant certiores. Monemus similiter Pastores omnes, vt cum huius rei gratia Episcopum suum eiusque Suffraganeum, ad Parochias suas

uentu-

*Apoc. 14.*

*Clemēs PP.  
ep. 4. ad Discipulos suos,  
Iulianum &  
Iulianum.*

*Conc. Laodiciense cap. 48.*



uenturum intellexerint, de omnibus quæ in Catechismo Concilij Tridentini, & in Concilio Prouinciali sub Hermanno Quinto, parte 7. cap. 8. 9. 10. 11. ac 12. & quæ ab Adolp. 3. in synodo Dicecesana Anno 1550. feria 3. post S. Matthiæ habita, atq; in præparatione ad uisitationem; nec nõ & illa, quæ cap. 5. statutorum Sifridi de Sacramento Confirmationis exposita, sancita, & recensita sunt; pro credito sibi talento, populum suum instruunt, & ad illud magno cum desiderio ac fructu suscipendum, cohortationibus & documentis eum præparent atque disponant.

3. Inter alia publicè coram omnibus hæc doceant, hortentur, & pro suo munere, ac officio curent:

Concil. prouinc. sub Hermanno 5. par. 7. ca. 10. Statut. Sifridi c. 5. pag. 38. c. d.

\* Ibid. Conc. Aurelianense ca. 3. cap. Ut ieiuni.

De consecr. Dist. 5. Cõ. il. prouinc. sub Hermã.

5. parte 7. cap. 9.

† Stat. Sifridi cap. 5. pag. 38. c. d.

De consecr. Dist. 4. cap.

Non plures ca. in Catechismo, & ca. In Baptismate

Supra tit. De hap. 5. c. 9.

4. Ut non alij Episcopo confirmandi sistantur, quã qui distinctè sciant orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ac Symbolum Apostolorum, & qui iam usû rationis habeant. Quod cum communiter septimo aut octauo ætatis anno accidere solet; ideò hæc ætas præuenienda non est, nisi aut sapientia ætatem superaret, aut imminens persecutio, aliud Episcopi iudicio faciendum suaderet.

5. \* Ut adulti & qui peccare possunt, ne gratiæ Spiritus Sancti ponant obicem, peccata sua prius cõfiteantur, atque ieiuni accedant, & pijs desiderijs, alijsq; dignis penitentię fructibus, ac pietatis operibus, Deo appropinquent.

6. † Ut omnes, ad reuerentiam Sacramenti, lota ac munda facie, fronteq; crinibus non impedita, sese confirmandos sistant.

7. Ut Patrinus non assumatur nisi vnus, qui confirmatus sit, etate si non confirmando maior, saltẽ nec minor; alius ab eo, nisi cogat necessitas, qui confirmandum ad Baptismum susceperat; & qui aliàs iuxta Decretum nostrum, quod præcedenti, titulo posuimus, ad Baptismum adhiberi posset. Quod, vt & alia omnia, quæ de Patrinis ibidem constituimus, etiam hic locũ habere



bere volumus; ac populo annunciari, inter Patrinum & confirmatum, Confirmatiq̄ue Patrem & Matrem, eam nasci spiritualem affinitatem, qua; vt de Baptismo dictū est, & contrahendum Matrimonium impediatur, & cōtractum dirimatur.

8. Vt Patrinus eiusdem sexus deligatur, cuius est confirmandus.

9. Vt quilibet confirmandus, eiusue Patrinus vittam lineam adferat, nouam & mundam, trium digitorum latitudinis, ac longitudinis sufficientis, quā Patrinus fronti, & capiti confirmati, ad reuerētiam Chrismatis circūliget, ac confirmatus triduo gestet, quo peracto à Pastore, eiusue Vicario aut Sacellano soluetur, illiusq̄; extremitatibus, locus consignationis defricabitur, ac comburenda in sacros cineres, ad diem cinerum, loco seruabitur honesto.

10. Vt parentes ac Patrini confirmatis filiis suis sæpè in memoriam reuocent, quando, à quo, & vbi fuerint cōfirmati; cum vt hanc gratiæ perfectionem, quam hoc Sacramento acceperunt, non in otio detineant, & sine vsura, ad maiorem damnationem suam, in terram fodiant; tum, vt ne iterato (quod graue sacrilegium foret) Sacramentum hoc suscipiant. Quod ne facile contingere queat, & vt affinitate Spirituali constare possit; si aliquādo de ea aliqui dubitarent; Parochi confirmatorum, ac parentum eorum, & Patrinorum nomina, in peculiari libro conscribent, iuxta formam titulo de Pastoribus à nobis præscriptam.

11. Vt confirmati ab Ecclesia non discedant nisi percepta Episcopali benedictione, qua Episcopus peracto Confirmationis ministerio benedicere omnibus consuevit.

12. Si qui adulti vbi de aduentu Episcopi, & Sacramenti Confirmationis administratione publicè constabat, sine legitima causa confirmati non fuerint; quamdiu

M m m

Ecclesiæ

Conc. Trid.  
sess. 24. ca. 2.  
Reform. ma-  
trim.

Stat. Sifrid.  
cap. 5.

Ibidem.

ca. Dictum  
est & cap.  
De homine.  
De consecr.  
dist. 3. Greg.  
PP. epist. 31.  
libr. 2. Greg.  
PP. 3. epist.  
4. Nam de  
homine etc

Adolp. 3. in  
Synod. Dia-  
ce. anno 1550.  
feria 3. post



S. Matthei  
hab. pag.  
466. a. & in  
preparatorijs  
ad visitatio-  
nē pag. 475.  
a.

Ecclesiæ non satis fecerint, à sacra Communione repel-  
lantur.

## DE SANCTISSIMO SACRÆ EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

I.  
Concil. Tri-  
dent. sess. 13.  
ca. 1. 2. 3. 4. 5.  
&c.

**Q**uoniam Catholicæ Ecclesiæ fides est, statim post cō-  
secrationem verum Domini nostri Iesu Christi cor-  
pus, verumq; eius sanguinem, sub panis & vini specie-  
bus, vna cum ipsius anima & Diuinitate existere; & quo-  
adusq; species perdurāt, sub illis perseuerare; nullus du-  
bitandi locus relinquitur, quin pro more in Catholica  
Ecclesia sēper recepto, omnis patriæ cultus, qui ipso Chri-  
sto Redemptori nostro, Omnipotenti, viuo ac vero  
Deo debetur; huic sanctissimo Sacramento, omni tem-  
pore ac loco ab omnibus debeatur. Verum cum partim  
per colluuiem diuersissimarū hæresium (quæ omnes in  
hoc potissimum à præcursoribus Antechristi exuscitate  
videntur, vt Christum Dominum in hoc Sacramento  
quàm plurimis in ruinam & offendiculum ponāt, eius-  
que verbis, potentia, ac maiestati, quantum possunt dia-  
bolica malitia detrahant) multi ab hac fide defecerint,  
& seducti sint, pluresq; in ea vacillent: partim per socor-  
diam, ac summam negligentiam, plurimi fidem suam  
non exerceant; nec moribus alijsq; significationibus cō-  
monstrent; & perinde ac si nullam fidem haberent, sacrā  
Eucharistiam, in omni actione ac conuersatione sua,  
ceu rem prophanam habeant: diligentissimè à Pastori-  
bus, alijsq; diuini verbi Prædicatoribus, ea omnia tractā-  
da, explicanda, ac frequenter inculcanda sunt, quæ ad  
exuscitandam hanc fidem, in Catechismo Romano tra-  
ctanda & explicanda proponuntur, currentq; vt omnes  
& ex diuinis instructionibus, & ex probatis historijs  
intelligant, cum ob aliās, tum vel ob hanc maximè cau-  
sam,

1. Regum. 4.  
5. 6. & 7.  
2. Regum. 6.  
1. Cor. 11.  
Vide Mola-  
num lib. 2.